

mitteretur Hierosolymitani templi et urbis, adæque sacrorum omnium per manum suam liberatio; hincque revelationi et promissioni fidem se adhibuisse, sique tam arduum et periculosum opus aggressam esse; in eoque, ad illud usque temporis punctum, feliciter hactenus progressam. *Confirma me, ait, Domine Deus Israel, et respice in hac hora ad opera manuum mearum, et sicut promisisti, Jerusalem, civitatem tuam, erigas; et hoc quod credens per te posse fieri, cogitavi, perficiam.*

Si dicas, certam igitur eam fuisse, fore ut neque vite, neque castitatis detrimentum ul- lum perpetetur, sique de fortitudinis ejus et magnanimitatis laude non parum deteri, respondeo hujus tantum certam vidari fuisse, futurum ut sua operâ Israelitæ tempestatem hanc evaderent; modum tamen et rationem perspectam non omnino habuisse, quemadmodum etiam propheta Isaias, Jeremias, alii certissima quedam habebant, aliorum, quæ ad ipsos spectabant, ignari erant. Et S. Paulus Actorum, 20, v. 22: *Ecce alligatus ego spiritu, vado in Hierusalem, quæ in eâ ventura sunt mihi ignorans, nisi quod Spiritus sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens, quantam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent.* Certa igitur periculi à gente suâ depellendi erat; sed incerta eorum quæ sibi eventura essent, magnopere tamen confidebat se ab hominibus etiam calamitatibus eruendam, præsertim verò ab omni pudoris jacturâ et graviore nullo peccato. Quomodo enim tam piam sui que cultus observantem feminam, tot et tam inflammatis diurnarum nocturnarumque precum postulationibus, tot incedis, et vigiliis, et sacrophoriis unum hoc impetrare sineret Deus optimus maximus, ut salutem aliis, sibi ipsi eternam (Peccati enim stipendium mors, Rom. 6, vers 25) animi perniciem afferret? Maxima igitur, ut dixi, fiducia erat, se ab omni penitus vel à graviore saltem prolapione omni defendendam et conservandam. Sed ut in adeundo periculo, fortis magnique animi laus ei præmiuniquæ magnam esset, incommodorum quibus afflicenda esset, nihil nôrat, etsi hene de iis quoque speraret. Unde colligendum, omnibus esse in Judith, exelsi, virilis heroicæ animi, ad omnes pro religionis et patriæ dignitate difficultates excipiendas, propositum exemplar; nulli tamen omnino virgini, vidæ, mulieri, ut in illum sese pudoris discrimen sponte conjiciat, an- sam præberi. Si tamen, quæ vix unquam aut

rarisimè jam accidit, necessitas aliqua incidere, posse ipsas, cum sanctissimâ illâ D. Ambrosii virgine Antiochenâ, hoc eodem Judith exemplo sese confirmare ac erigere. Sanè insignem et planè admirabilem fortitudinem luculentis admodum verbis efferunt SS. Patres et D. Ambrosius, 3 Offic., cap. 15 et 11, libro de Viduis, Clemens, lib. 4 Strom., cap. 7, Origenes, homil. 9 in Judices. Eorum tamen et aliorum verba commodius alibi reddentur, cum quibus Ozæ pulcherrimum illud encomium infra, vers. 24 et 25, copulandum, et breviculum hoc è tertii de Officiis libri D. Ambrosii cap. 14: « Liqueat id quod decorum est, semper esse utile. Nam et Judith sancta decoro contenta propria salutis solvit obsidionis periculum, et publicam honestate propria acquisivit utilitatem. »

QUESTIUNCULA V.

An Holofernem ebrium interficiendo, ab eadem Judith peccatum atiquid?

Ebrius erat vino admodum Holofernes, sed libidine, propter quam vini tantum hauserat, multo magis; ideoque tali eum momento interficere, quid aliud erat, quam ad sempiternos eum ignes amandare, corpus et animam simul occidere? Hoc verò grave nimium, et vix absque peccato fieri posse, videatur fortè alieni. Sed falli se intelligit, si advertat, primò peccatores istiusmodi omnes posse omni momento justissimè à Deo sempiternis addici suppliciiis. Horum enim isti rei sunt, et ille summus omnium iudex et Dominus. Deinde, cum justum bellum divinisque legibus consentaneum est, ligere hostem, ubi et quando sese offert occasio, necare, tumque quisquis necat, divinæ justitiæ ministrum esse, quemadmodum ex disputationibus de bello apud D. Thomam, 2-2, quest. 40, Bellarminum, lib. 5 de Laicis, cap. 14 et 15, perspicuum. Ideoque breviter ita D. Augustinus, lib. 1 de Civit., c. 21: « Nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quod dictum est: *Non occides.* Qui Deo auctore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis secundum ejus leges, hoc est justissimè rationis imperium, scelerosas morte punierunt. Tertio demum, quod hostis ille, vel ebrietate, vel alio ullo peccato astrictus moriatur, sic in æternâ gehennæ tormenta miser abeat, hoc ad ipsius, non ad ejus qui eum dum interficit, jure suo utitur, culpam pertinere. Quem aliqui Turcam et infidelem in acie ferire

quem impium, et præfactum latronem extremo afficere supplicio liceret? Quin verò ex repentinis hujuscemodi funebribus intelligi datur, quanto studio ab omni semper scelere abstinendum, quantaque curâ providendum sit, ne vino madidos, libidine flagrantes, crimine alio quocumque contaminatos, repentinus quispiam casus occupet. Hoc enim est, quod Marci 15, vers. 35 et seq., tam seriò monuit Dominus. *Videte, vigilate, et orate. Nescitis enim quando tempus sit. Vigilate. Nescitis enim quando dominus domus veniat, serò, an mediâ nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.* Et Luc 21, vers. 34: *Attendite vobis, ne foris graveatur corda vestra in crapulâ et ebrietate, et curis hujus vite, et superveniat in vos repente dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terræ. At Holofernes non vigilavit, in crapulâ et ebrietate obdormit; supervenit ultime horæ laqueus, eumque constructum in gehennæ chaos precipitem egit, cuius culpâ?*

QUESTIUNCULA VI.

An, cum Deo loquendo, deliquerit Judith quidpiam?

Judith hactenus facta clumina. Sunt et in eodem fonte, quæ locuta est, mergenda. Quedam enim ex iis quæ parim cum Deo, partim cum Assyriis locuta est, quasi minus recta existimari possunt. Quid enim illud quod cap. 9, vers. 12, à Deo petit? *Copiatum laqueo oculorum suorum in me, percutes illum ex labiis charitatis meæ, quod valet: Da mihi labia charitatis, sive, ut in Græco illic haberi monui, labia dolosa et fallacia, ut iis ille decipiatur, deceptusque miserè tandem percutiatur? At labia istiusmodi sunt hominum impiorum, eaque odit Dominus, Psalm. 50, vers. 19, Psalm. 108, vers. 1, et Psalm. 119, vers. 2, Proverb. 15, vers. 15, Sophon. 5, vers. 15. Et David, Psalm. 11, cum sanctos defecisse veritatesque à filiis hominum diminutas dixisset, subjungit: *Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa, in corde et corde locuti sunt. Disperdat Dominus universa labia dolosa.* Itemque Psalm. 5, v. 7: *Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus.* Quæ igitur prudentia, quæ in oratione pietas, petere à Deo quod detestatur Deus, quod peccatum est? Sed bona verba: *Nullum à Deo peccatum nihil quod inivisum illi et ingratum sit, obsecrat.**

Duo enim in iis quæ obijciuntur verbis petit, vultus nimirum sublimitudinem et orationis venustatem ac suavitatem. Utrumque quidem, ut è ille capi et oblectari possit non ad peccandum, sed ad eâ benè utendum, si vclit. Quando enim pulchra quedam oculis species obijciunt, in potestate nostrâ est, ut eâ vel ad honestum, vel flagitiosum amorem utamur. Quando similiter venustum suavemque alicujus sermonem audimus, ad ejus amorem invitamur; sed ut hic amor aut bonus aut malus sit, per nos ipsos stat. Quemadmodum verò tam forme quam orationis elegantia et polchritudo à Deo donatur, ita et eam ab eo precari fas est. Nam, prout supra de ornatu dicebam, naturam imitari potest ars, potest etiam Deum donantem humiliter petitor. *Labia verò dolosa hîranium vocantur.* Vel enim sunt, quæ naturali quadam et insitâ vi ejusmodi sunt, ut decipere possint faciliè, vel quæ studio dataque operâ huc reipsa jam referuntur, ut decipiant. In priore genere, omnis facundè, gratè suaviterque loquendi facultas, quam vel ab ortu vel postea indidit nature parens Deus, continetur. Est enim facultas hæc illex admodum, et quedam veluti *suada*, quâ in hominum animos facillimè, qui cam accepterunt, influunt. Ad posterius genus pertinet omnis locutio quæ idcirco fit, ut decipiatur alius, sive à prioris generis labiis, sive ab aliis ea dimanet. Rursùm verò dolus duplex est, bonus et malus. De illo Paulus 2 Corinth. 12, v. 16: *Cum essem astutus, dolo vos cepi.* De isto D. Thomas, 2-2, quest. 55, articl. 4; de utroque jurisconsultus cum alibi, tum maxime in d. 4, tit. 5; de dolo malo, post doli mali Servianam Labeoniam definitionem, subditur: « Non fuit contentus pretor dolum dicere, sed adiecit malum, quantum veteres dolum etiam bonum dicebant, et pro solertia hoc nomen accipiebant, maxime si adversus hostem latronem, et ve, quis machinetur. Dolosa ergo labia que sibi à Deo præcubatur Judith, erant prioris illius generis, et cum ad usum ea bonum conferret, erant dolo tantum bono dolosa. Et isto etiam modo Augustinus, serm. 227, vocat Judith vultum insidiosum, et ipsammet, *Holofernis fraudem.* »

QUESTIUNCULA VII.

An per Nabuchodonosorem et Holofernis antman jurare potuerit?

Inter ea quæ cum hominibus cautè prudenterque minus locuta videtur, est hoc jusu-

randum c. 14, vers. 5 : *Vixit Nabuchodonosor rex terra*; et cap. 12, vers. 4 : *Vixit anima tua, Domine*. Primò enim non nisi per Deum concipi debet jusjurandum. Isaia: 19, vers. 18, cap. 65, vers. 16, Jerem. 12, v. 16, et quidem non nisi per Deum verum, ab homine præsertim ejus cognitione ac fide imbuto. Exodi 23, Deuteronom. 6. Multò igitur minùs, per hominem mortalem Deique hostem et impium. Domini hæc apud Jeremiam cap. 5, vers. 7, querela est : *Filii tui dereliquerunt me, et jurant in his qui non sunt Dii. Jurare aliquem*, ait sub finem libri de Atheniensium gloriâ Plutarchus, *est eum Deum facere*. Unde et apud Strabonem libro 17, *Æthiopes idè per mortuos jurasse, quia Deos ipsos putarent*. Volebat verò Deus haberi Nabuchodonosor, ut supra vidimus. Quomodo ergo per eum jurat Judith? quomodo per Holofernis animam? Sed esto, liceat per homines etiam sceleratos, jurare, nùm falsò licet? At quo se cap. 11 Judith obstringebat, falsum sacramentum fuisse.

Responsio hic triplex est : prima Lyrani, hisce verbis : Non est hoc juramentum, ut dicunt aliqui, quia non excusaretur Judith à juramento falso, quod est peccatum mortale, sed est simplex assertio falsi ad fallendum, fallacem. Altera Loricii Hadamarii ita scribentis : *Judith cautè jusjurandum simulavit. Simile habemus apud Epigrammaticum, lib. 5 :*

*Quid sentis, inquis, de nostris, Marce, libellis?
Hoc me sollicitus, Pontice, sæpè rogas.
Admiror, stupeo, nihil est perfectius illis,
Ipse tuo cedet Regulus ingenio.
Hoc sentis, inquis? faciat bene sic tibi Cæsar,
Sic Capitolinus Juppiter amò tibi.*

Hæc ille. Tertie Carhusiani, jurasse, et ex animo. Atque huic ego subscribo, primò, quia hæc asserendi ratio : *Vixit hic, vixit ille, sacramenti formulam continet*, ut eo loco è Scripturis pluribus monstravi. Sicut enim qui ait : *Vixit Dominus*; jurat, 1 Reg. 14, v. 59 et 45, cap. 19, vers. 6, cap. 20, vers. 5 et scipissimè aliàs, nominatim verò infra, cap. 15, vers. 20, ita et qui affirmatione hæc utitur : *Vixit Nabuchodonosor, vixit anima tua*, adeò quidem ut utraque interdum formula simul jungatur, 1 Reg. 25, v. 26, et 4 Reg. 2, scipius : *Vixit Dominus, et vixit anima tua*. Deinde, quia potest divina veritas duobus modis in testimonium adhiberi, directè scilicet, quando per seipsam ipsa invocatur, et indirectè,

quando ejus attestatio eatenùs petitur, quatenùs in creaturis ipsis implicatur et effluget, prout edisserit D. Thom. 2-2, qu. 89, art. 6. Tertio, quia sacramenta istiusmodi existant in Scripturis non pauca, et quidem à viris bonis et prudentibus adhibita, Josepho Genes. 42, v. 15 et 16. *Per salutem Pharaonis non crediemihi hinc, donec veniat frater vester minimus. Alioqui per salutem Pharaonis exploratores vos estis*; Eliseus 4 Reg. 2 : *Vixit Dominus et anima tua*, prout supra jam citavi. Quarto, quia hunc per creaturas jurandi morem jam olim viguisse ostendit Dominus; neque eum tollit, sed eadem tantum cautione, quia alterum illud per Deum jusjurandum obsepit, ne in vanum videlicet omnino etiam suscipiatur. Hoc enim inculcant illa Matth. 5, vers. 34, 35 : *Ego dico vobis non jurare omnino, neque per caelum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus; neque per Hierosolimam, quia est civitas magni Regis; neque per caput tuum juraveris, quia non potest unum capillum album facere, aut nigrum*. Quintò, quia primis Ecclesie christianæ seculis per imperatorum genios jurare Christianis haud licuit; bene tamen per eorum salutem, quia mendacissimos demones in veritatis testimonium vocare turpe, non verò imperatorum salutem, quia, etiamsi gentiles et impii sint, hæc tamen eorum salus, et quorumcumque hominum anima à Deo est, in eaque Dei etiam veritas splendescit. Tertulliani enim Apologeticus cap. 52, ait : *Sed et juramus, sicuti non per genios Cesarum, ita per salutem eorum, quæ est auctior gustior omnibus genis. Nescitis genios demones dici, et inde diminutivâ voce demonia? Nos judicium Dei suscipimus in imperatoribus, qui genibus illos præfecit; id est in eis scimus esse, quod Deus voluit, ideoque et salvum volumus esse quod Deus voluit, et pro magno id juramento habemus. Ceterum et demones, id est, genios adjurare consuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non et dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus.* Illoc igitur est, quòd in Scripturis velatur, per illos aut falsos deos, qui demones erant, aut per creaturas, tanquam deos, jurare, uti gentiliū quidam fecerunt, non autem per creaturas, quatenus ipse Deus, sed ipsius Dei sunt. Quò detestabilior Calvinii lib. 2 Insuper, cap. 8, § 26, calumnia, dùm hoc ipsam fatetur, et tamen per sanctos et per angelos juramentum fieri posse indicatur. Quid?

An hi minùs ipsius Dei sunt, quam creaturæ aliæ? An in iis Dei veritas operitur et latetior? Ceterùm Lyrano rectè respondet Cartusianus, in Judith iurejurando falsi nihil fuisse. Certum enim, Holofernis operâ, mortalium quamplurimos Nabuchodonosori obediisse, itemque bestias, eo modo quo de Nabuchodonosore altero dicit per Jeremiam, cap. 27, v. 6, Dominus : *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosoris regis Babylonis servi mei; insuper et bestias agri dedi ei, ut serviant illi. Cùm verò et sic jurare licuerit, et verè potuerit, cur ab Hadamario juratio tantum simulatio, non juratio vera hic fuisse dicitur?*

QUESTIUNCULA VIII.

An è Judith, quidquid Holoferni placuisset, facturam rectè sponderit, cap. 12, vers. 14?

Quomodo rectè potuit quidquid homini flagitioso et salaci placuisset, spondere? An dici queat, spem ipsi fuisse, futurum ut ille nihil nisi pudicem et honestum peteret? At jam quæ Holofernis voluntas esset, ipsi Judith enuntiatat Bagoas, ut ad illum vedelicet introiret. Hoc autem introcundi vel ingrediendi verbo sæpè, phrasi Hebraicâ significatur, procreationis actio, ut Genes. 38, vers. 2, 8, 9, 16; ibid. c. 46, v. 2, c. 59, v. 14; Ruth. 4, v. 7; 2 Reg. 5, v. 7, 8; in titulo Psal. 50, et crebrò alibi. Accedit quòd in Græco illicitam eam Bagoas ut fiat Assyriarum puellarum instar, quæ in Nabuchodonosoris domo versabantur. Hæc verò ab illius libitum, ejus libidini servientem, cranque iis similes, quæ hodiè in Turcici Sultani gynæceo stabulantur. Respondet verò Judith, non tantùm se, quidquid illi colloberet facturam, sed etiam propter ac perlibenter.

Responsum ad ista esse potest duplex : Unum, falsò hæc à Judith esse dicta omnia. Sed eùm verbis veritas inesse possit, mentium cur dicamus, nisi quia delictum, ita mentiri, quam libidini annuere, minus est. Quia tamen securità questione de mendacio agitur, responsum esto; alterum, verè quidem locutam Judith; sed ut rectè simul etiam locuta sit, explicari tripliciter Primò, ut non ad Holofernis vel Bagoæ mentem responderit, sed ad eam quam animo verè informarat, cogitationem. Dominum enim suum intelligit Deum suum, de coque respondet : *Quæ ego sum, ut contradicam domino meo?* et quæ sequuntur, alia omnia. Ita Rabanus : *Sunt ea, inquit,*

respectu celestis imperii, ad quod se paratam dicebat, intelligenda. et videtur item velle Lyrano, dùm ait dixisse ipsam : *Hoc erit mihi optimum, quia videbat appropinquare tempus opportunum ad interficiendum ipsum.* Iterumque postea, vers. 18 : *Magis gratificata est anima mea, quia videbatur appropinquare hora liberationis populi sui.* Deinde, nonne usu et in Scripturis, et in familiarium omnium sermone receptum, ut hujusmodi generales propositiones dicantur, sed semper certis cum clausulis intelligantur? verbi causâ, modò Deo et honestati adversum nisi sit, amicitia tantum ad aras usque valeat, nisi aliter Deus constituat, et si qua similia. Cùm enim ait Dominus : *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, in conditionem nihil subaudiendum?* Cùm scribit amico amicus : *Tutus ex asse, tuus xpianus xxi xxviii, quâ tibi nunquam re gratificari potero, faciam, an urbanitatis nomanæque consuetudinis cautio nulla tacite apponenda?* Libertas est, ait ille, *agendi quodcumque velis*, modò tamen intelligatur ad legibus illud contrarium non sit. Hujusmodi quid à Cajetano in 2-2, quest. 111, art. 1, notatum invenias. Hæc ergo moderatissimi Lympha dùm Judith verbis aspergitur, quid in iis non purum, castum et candidum? Tertio tamen dici potest, in Bagoæ verbis duplicem quamdam sententiam inclusam fuisse : Una erat simplex, clara, et proxima; altera verò insidiosa, tectior et remotior illa tantùm ad cænam, familiaritatem et hilaritatem invitabat; hæc ad ea quæ hisce omnibus erant posteriora, et à Bagoâ quidem ac Holoferne spectabantur, non nisi tamen secundariò et quasi velatè proponebantur. Nam introire vel ingredi, etsi quandoque significationem habet venerem, multò tamen sæpius non habet, adeò ut id exemplis probare puitidum sit, et Tobie cap. 7, jam tetigi. Apertè verò pudicem hie introitum significari, declarat non solum pudica verbi ejusdem jamjam usurpatò dùm dicitur v. 12 : *Introivit Vago ad Judith*, sed id quòd, quasi subsequens, hinc introitui adjungitur, *manducare et bibere cum illo*, et multò adhuc apertius in Græco, ubi ne ipse quidem Holofernis eunuchus suo, vers. 10, præscribit, ut *habitandi verbo*, quod ut 2 Machab. 1, v. 14, dicitur, aliquid interdum turpitudinis importat, utatur, sed ait : *Èβειν τρεψ; ζυγ; xxi xxiiv; πειθ; hupo, venire ad nos, et edere ac bibere nobiscum*. Quæ verò in Nabuchodonosoris palatio erant ipsiusque thalamum ini-

bant Assyriæ puellæ, partim uxores erant, partim non erant. Et hæc ad uxorem consuetudinem, pluribus quandoque mensibus et annis, præparabantur, prout in Esther hic Orientis mox explicabitur. Omnes verò iste quod istos reges gratiâ plurimum pollebant. Quod ergo Bagoæ et Holoferni in cenâ et ante cenam annuit Judith, est, venire ad apparatus convivium, cibum potumque cum eo sumere, ipsius gratiam colligere, ipsi placere, sed eo modo et fine quem superioribus questionibus exposui. Si tamen huic ejus annuiti, et cautiones antea posite, et illa etiam interior de vero Domino cogitatio, ipsunquæ de opportuni temporis appropinquatione gaudium et lætitia, quæ instantem jam liberationem presentiebant, adjungantur, ut adjungi sanè possunt, quid in sponsonè ipsius totâ erit non purgatissimum?

QUESTIUNCULA IX.

An in omnibus istis mendacium ei aliquod impingi possit?

Non unum, sed plura quæ impingi meritò possunt, occurrunt. Nam primò, cap. 10, v. 12, idè, ait, *fugì à facie eorum, quantùm futurum agnovit quòd dentur vobis in depradationem*, et similia c. 11, v. 15. Idemque in Græco: *Non excidit Dominus ab iis quæ cogitavit*, sive, non frustratur spe sua. Atqui neque fugiebat, neque futurum erat, ut præda hosti darentur, idque, ut supra dictum, ipsa prænotat, et he darentur idè veniebat. Secundo, ibid., vers. 15: *Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos*. Tertio, cap. 11, vers. 4: *Si secutus fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet dominus tecum*. Quarto, vers. 16: *Tu solus bonus et potens es in omni regno ejus*. Quinto, vers. 8, Deum Israëlitis valde iratum ait, ipsosque gravissimè contra illum deliquisse, et Hierosolymitanos; at cap. 8, v. 18: *Non sumus, ait, secuti peccata patrum nostrorum*. Sexto, ad veterum peccatorum cumulum nova Israëlitas adhuc moliri, per sanguinis potionem, sacrorumque et victorum eduliorum profanationem narrat vers. 41 et 42. Septimo, famem in urbe dicit, vers. 10, invaluisse, cum sitiis eos tantum vexaret. Octavo se idè à Domino missam ait, vers. 15 et 16, ut hæc ei nuntiaret. Nonò, se promittit vers. 13, quæ divinitus cognovisset, ipsi patefacturam, ipsunquæ pro mediâ Hierusalem deducturam.

Due de hisce tam multis exstant opinionum

capita: Unum est, ut eam fateamur mentitam, mendaciam tamen levibus nihiliniquè perniciosis, sed officiosis, valdeque utilibus. Ita hoc loco Lyranus, Abulensis in 1 Exodi, quest. 6, D. Thomàs, 2-2, q. 110, art. 3 ad 3: *Quidam, ait, commendantur in Scripturâ, non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis laudabilis aliquis effectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda. Et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter actum quem habuit ad salutem populi, pro quo periculis se exposuit.* Alterum, non esse mentitam, et trifaria istorum omnium datur expositio. Prima à Carthusiano intelligenda esse per ironiam dicta, quemadmodum 2 Reg. 22, v. 15, à Michæâ ipsi Achabo responsum: *Ascende et vade prosperè, et tradet Dominus in manus regis*. Altera à Rabano, Glossâ et Hogone, mysticam et quasi propheticam totam istam Judith, et actionem, de qua supra, et orationem fuisse. Hæc enim prædixisse gravissimas illas miseriarum procellas, quas Israëlitis populo, Vespasianus et Titus invexerunt; idque ob gravissimâ, quibus Deum irritarant, facinora. Et hæc isti expositionem videntur à D. Augustino suscipere, cujus lib. de Mendaciò, cap. 3, hæc regula est: *Creandum est illos homines, qui prophetiis temporibus digni auctoritate fuisse commemorantur, et omnia quæ scripta sunt de illis, prophetice gessisse atque dixisse.* Quin et Alensis Alexander, part. 5, q. 57, membro 6; cum de mendaciò ageret: *Ad ultimum, ait, quod obijciatur de Judith responsio est in Glos. super Judith cap. 11, ubi dicitur, apud Holofernem quidquid de adventu suo et Judæorum futuro judicio loquitur, non dicit adulterè mentiendi, sed futura prophetice prædicendo.* D. Thomàs, loco indicato, subjungit: *Quamvis etiam dici possit quòd verba ejus veritatem habent, secundum aliquem mysticum intellectum.* Tertia est; tacitam in hisce omnibus subintelligendam conditionem verbi causâ, *nisi Deus providèrit, si Deo illa visum fuerit, si atque culpâ fieri hoc poterit*, ut supra jam dictum, quest. 8. Verè si quidem enim in locum Judæorum res adductas tuam fuisse, ut humano de iis modo loquendo, perditâ jam essent, victor Judæa tota volitaret Holofernes, Judæis ad sanguinis haustum, cibosque sacros deveniendum esset. Malim verò aliorum sententias enumerare, ad easque

semper accedere, quam ab iis vel tantillum fieri si posset, discedere. Sed quoquo modo vestiganda veritas.

Primum caput, ut mentitam Judith putem, non libenter concedo. Etsi enim bonis etiam operibus aliquando vitiosi alienus et peccatuli nexus adesse possit, neque tamen ut illa bona esse desinant, efficiat, minus tamen perfecta et coram Deo præstantia, minusque coram ipsis etiam hominibus laudata efficit. Nunc verò quam præclarum, quam omni laude cumulatam Judith factum istud à libello isto et à Patribus deprædicatur! Deinde, in sui cum Holoferne sermonis principio, ipsa quid pollicitur? *Quia à sepe factis tibi xipis meo, non enuntiabo domino meo falsi quidquam*, ad perpetuam è mendaciis orationem contexere, et se mendacium nullum allaturum profiteri, non mendacium æquo mendacius? Tertio, aliud est unum aliquid alicui quandoque mendaciorum vel imprudenti et incogitanti, vel periculo aliquid subintelligi excidere, aliud ita mendicare, tam varia, toties, de suo etiam populo tam illadata mentiri. Quarto, cum, ut supra ostensum, tam fixam à Deo de futurâ liberatione spem conceperit, imò et cœlesti ipsi oraculum fuscum sit, cur ad finem optimum non nisi viâ tam distortâ pravâque tetendisset? Cur piâ et religiosa femina, tot assidue Deum precibus consulens, tantâ, tot, tamque insiguitum mendaciorum colluvie, præclarissimum Dei miraculum contaminasset? Quinto, Deum, ejusque angelum infra, vers. 20, laudari, quòd eorum ope ad suos, sine peccati pollutione reverterit. Et quamvis luxuriam potissimum innuat, est tamen quadam etiam peccati pollutio, mendacium; et Dei angelique laus major, si ab hujus etiam peccati maculâ puram immaculatamque custodierint. Sexto, postulat ratio ut in magnorum sanctorumque hominum verbis veritas inveniri ulla si potest, neque ii ullius à Scripturâ mendacii accusantur, à nobis etiam nullo modo accusentur; sed D. Augustini anteposita regula, ejusque explicandi modus, vel certè non dissimilis alius tenetur. At in Judith verbis potest veritas inveniri, ut patet per allatas alias expositiones, et ipsa magna sanctaque mulier est; neque à Scripturâ mendacii ullius accusatur, quin ubique potius laudatur. Ergo.

In posterioris tamen capituli expositionibus, nulla per se sola omnibus que objecta sunt satis commode satisficit, et primò quidem ironiâ in historica veluti narratione locum hæ-

bere nullum solet, cujusmodi tamen est Judicâ de sua fugâ, deque urbis et populi sui statu narratio; sed vel in dictis et quasi jocosis narrationibus, vel certè in eorum, qui veritatis indaganda; ut hominis alicujus reprehendendi causâ, disputant, altercationibus versatur. Ejusmodi enim aliqua sunt apud Platonem Socraticis disputationes, quem inquit, Offic. 1, Tullius, *in omni ratione simulatorem*, sive, ut nominaverunt Græci *επιποιεσσαι, accepimus*. Deinde, ironia si non ab uno, ab alio ferè statim notatur, et, ut ait 8 lib. Quintil., *aut pronuntiatione intelligitur, aut personâ aut rei naturâ.* Nam si qua eorum verbis dissentit, apparet diversam esse orationis voluntatem. Unde et Michææ ironice loquenti confestim dicit Achab rex: *Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est*. Deum in Judith nonnullis de se et populo suo verbis ironia illa videretur, quam 2-2, q. 115, mendacii speciem constituit D. Thomas. Prophetia similiter, in eorum, quæ mendacii præ se speciem quandam ferunt, primò, 2, 5 et 4, supra enumeratis, queam esse? An Vespasianus et Titus Assyrii fuerunt, vel ad eos Christiani, antequam excideretur Hierosolyma, transfugerunt? Quomodo vel Judith vel Ecclesia ostendit Holoferni populi Dei arcana, et quæ eum aditu obtineret? Conditiones porrò quas explicatio terga suggerebat, promissionibus quæ et narrationibus pluribus adhiberi possunt, sed quemadmodum possint omnibus nondum perspicio. Nam verbi causâ, primum illud fugit à facie eorum, quâ subauditiâ conditione verum?

QUESTIUNCULA X.

Quomodo quæ locuta Judith, absque mendaciò intelligenda?

In eam venio sententiam, ut allatarum expositionum trium singulas, per se, ut dixi, solas, non omnem eximere scrupulum existimem, omnes tamen simul, cum nonnullis ad huc aliis vel expositionibus vel declarationibus, ipsam à mendaciò Judith satis vindicare. In primâ siquidem expositione, ironia sumi potest pro quâcumque amphibologica oratione, quæ sententiam aliquam simulat, cum alias is qui loquitur animo tenet. In secundâ verò prophetia posset accipi pro futurorum rerum valde adhuc occultarum predicatione, sive jamjam future sint, sive multis post seculis. Tertia expositio potest similiter ad modos illos omnes dilatari, quibus posse interdum

benè, absque mendacio ullo, veritatem occultari, docent è scholasticis nonnulli, quorum sententia copiosè apud Michaelèm Saloniùm, lib. de Justitià in 2-2, D. Thom., q. 62, art. 2, controv. 15, et q. 69, art. 2, controv. 11. Gregoriùm nostrum de Valentia in 22, disput. 5, q. 15, de Reo, puncto 2, explicatur et probatur; breviter verò ita forsan astringi queat: *Veritas rectè interdum, absque mendacio, tegi potest dupliciter, tacendo nimirum et loquendo.* Tegitur loquendo rursum dupliciter; vel enim plena et integra oratio, quam cogitamus, voce ipsà offerri potest, vel ejus tantum pars, ut pars altera in animo contineatur. Quando plena et integra oratio effertur, iterum bifariam occulì potest veritas. Nam ea oratio vel sensus plures habet ex communi et usitato sermonis instituto, vel partim ex hoc, partim ex proprio, quo qui loquitur, propriam quandam, arbitrato suo, significationem illis subjicit. Utroque siquidem modo, è pluribus istis sensibus unum arripit, qui audit; alterum, eumque verum mente suà repositum tenebit, qui loquitur. Quando verò pars tantum pronuntiat, veram ejus sententiam accipiet auditor, sed pars altera tamen vera in animo inclusa latebit, licet huic ipsi, quæ exterius funditur, particule, posset etiam superior plene orationis caligo duplex offundì. Demùm, circa sermonis veritatem et apertam simplicitatem duo potissimum precepta versantur, negans unum: *Non mentieris; affirmans alterum: Simpliciter et candidè loqueris.*

Concludo igitur primò Judith in hisce omnibus mentiam non esse, quia contra mentem nunquam locuta est. Nam semper in animo veram sententiam, cui verba, modorum expositorum aliquo, responderet, habuit. Primò enim ut quæ superiore quaestione opponerentur, singula jam explicem, *fugit à facie eorum*, id est, celeriter discessit, vel fugientes instar sese habuit, atque Bethulà exiit, quoniam agnoscebat in *depravationem* dandos nisi suo ipsa consilio miseriam tantam occuparet, Deusque opem ferret. Non frustrabitur Holofernes spe suà, non quidem quoad Bethulæ occupationem, sed quoad alia nonnulla, verbi causà, quoad ea quæ hodie vel cras cogit, vel non frustrabitur Dominus meus, Deus, inquam, meus. Secundò: *Vado, ut indicem illi secreta illorum*, ut instar indicantis me apud eum habeam, et aditum per sitim et famem ostendens, vel etiam ut verè quandam indicem, prout indicavit de siti. Licet enim

cò veniendi finis primarius hic non esset, erat tamen secundarius. Tertio: *Si secuta fueris verba ancillæ tuæ, perfectam rem faciet Dominus tecum.* Amphibologia erat, et eam arripuit sententiam Holofernes, fore ut bellum brevi conficeret. Sed vera in Judith mente sententia erat, futurum ut cum Holoferne omnia brevi expediret Deus, cum vitâ privando. Quartum, totum simpliciter verum esse potuit, quia de bonitate agitur eximìa corporis, militiæ, et similitum. Quintò, etiam simpliciter verum, Deum Israelitis iratum esse, quia idcirco magna in captivitate pars abducta jam erat, ut c. 1, q. 2, patuit, et ratione residuorum adhuc Judæorum non quidem omnium, aliquorum tamen, aliqua Dei irasaltatem quoad penas quasdam intelligendas semper existit, 4 Reg., 17, v. 18, 19, c. 21, v. 15. Sextò, poterunt etiam Bethulienses delationem instituisse, et secum et cum Hierosolymitanis, de sanguine et cibis aliis vetitis, tali necessitate sumendis, potuitque fieri ut hoc à Hierosolymitanis factum aliquando antea fuisset, in Sennacheribi maximè obsidione, aut verò Judæorum quidam tacitè, et quasi apud se murmurando ista fecerunt, aut si facta non sunt, rerum cursus eò, ut fierent, fiebat, nisi opem tulisset Excelsus. Septimò, utrumque malum fuit; sed magis torquetur sitis, et ferè ista junguntur. Etsi enim ciborum adsit copia, edere tamen si non possunt, quibus aride siti fauces. Unde et quandoque pro siti fames etiam nominatur, ut apud Joseph., lib. 5 Captiv., Lucan., l. 4, et de eadem infra citabitur D. Ambros., lib. de Viduis, Augustin., serm. 228. Octavum ut secundum, intelligendum. Nonnum, quod in promissione versatur, aliter quidem ab Holoferne intellectum, re tamen ipsà nonne perfectum; nonne ictu ipso lethali, ei, quæ nuntiasset Dominus indicavit? nonne ipsum in curru per Hierusalem medium deduxit, quando de ipso Hierosolymæ, et in Judæa totà triumphatum, ipsiusque fortè caput circumvectum? Nonne, quia *dispos*, etiam *solum* significat, Holofernis, in Hierosolymitanà urbe, solum collocatum, quando et manibus eò allatum? Nonne factum ut ei nemo unus resisteret, cum omnibus desit esse molestus? Nonne tanquam oves quibus pastor non esset, Judæos egit, cum ad fugientes balantesque Assyrios huc illic isti decurrerent, ex eorumque castris prædam offerrent? Hi autem expositionum modi sunt, eo quo dixi modo, ironici, amphibologici,

prophetici, licet ad Hierosolymitanum exitum non malè quaedam referri possint; non tamen, ut verborum constet veritas, referri eò debent necessariò. Eos verò similesque modos inquit August. serm. 229, cum ait: *Non decuit pudicam mentiri, non intelligi: gentibus dixit, perfecti actibus quod promissit. Regi alter sermone, imaginariis verbis blandita est.* Et Græcus interdum textus clarè ad eos vocat, præcipuè dùm ait: *Misit me Deus facere tecum eas res ob quas obstupescant in orbe terrarum universo, non si tantum qui præsentis aderunt, oculisque suis videbunt, sed qui, procul etiam positi, eas usquam audituri sunt.* Quid alioquin tam magnum, invisum, inauditumque ob quod stupere mundus totus deberet, fuisset, si mulieris unus vel indicio, vel proditione, unam tunc urbem, tametsi munita, regionisque veluti claustrum esset, non amplissimam tamen, et siti jam vehementissimà totam elanguidam quotidianis suorum funeribus attonitam, omni penè humani auxilii spe destitutam tantè, tam instructè, tam innumerabiles copiarum cepisset? Sed unam mulierem omnes istas copias, tali rerum articulo, dellesse, ipsorum duces suis ipsam manibus in satellitum castrorumque suorum medio jugulasse, id verò planè est mundi totius eorum qui præsentis fuerunt, et qui unquam, vel tunc vel postea, sive audiendo sive legendo, cognoverunt, admiratio et stupor maximus, quemadmodum infra dicitur v. 25, et ad v. 51, Græcè.

Concludo secundò, Judith non quidem simpliciter et apertè cum Holoferne, ipsiusque Assyriis semper locutam; jus tamen celandæ ipsos veritatis habuisse, idèoque contra præceptum illud aïens, nihil commississe. Prima pars ex his quæ hactenus dicta, liquet abundè. Secunda probatur quia Holofernes hostis erat immanissimus; neque ei modum, quo ipsius immanitatem vellet depellere, aperire tenebatur Judith, quin potius, ut factorum insidias operire licebat, quemadmodum supra dictum est, ita etiam et verborum. An enim ut vitam vel famam reus quispiam tæuat, si à iudice non legitimo, vel ipso quidem legitimo, sed non legitime interrogetur, veritatem illum celare, verborumque ambagibus è quibus aliam ille sententiam hauriat, uti licebit, et coram hoste iniquissimo, à quo jus et fas impetrari non potest, communis boni causà, nullum, veris alioquin, animorum nostrorum sententiis velum obtendere liceat?

Tertia pars è preceptorum aientium naturà fuit. Ea enim neque semper, neque ubique obligare solent, et istud de simplici apertoque sermone adhibendum tum non obligat, cum jus habet quispiam reticende velandæque veritatis. Idèoque neque Judith mendacium ullum admisit, neque à simplici orationis usu, absque justà gravique causà, recessit. Eluta igitur sincero jam fonte omnia, non quæ aderant, sed quæ adesse videri potuissent, sordida et commaculata.

QUAESTIUNCULA XI.

Quomodo ad suos Bethuliam, Assyriorum victriam, Israelitarum salvatricem direxit?

Vallem cum abrà suà circumvit, et eminèss acclamare cepit Judith, ut citò portas aperirent, v. 15. Iidem ergo principes, qui urbis clavium custodes erant, vocati sunt, statimque è ipsà noctis horà ad eam omnes undique lectorum somnique oblitii, confluerunt, non magni tantum et seniores, sed juveniores etiam et minimi, quoniam sperabant eam jam non esse venturam. Sperare de bonis ferè lætisque rebus dicitur, interdum tamen etiam de malis tristibusque valet quasi *timere*, ut apud Virgil. Æneid. 4: *Tantum sperare dolorem*; apud Herodianum lib. 8, ἀνεπαύτως ἄλλοι ἄπαιστον, hostes venturos sperabant; apud Sophoclem ἄπαιστον φόβον, sperat ferre, pro timet. Nam et ἄπαιστον etiam sine adjectione quandoque metum significat apud Thucydidem et alios. Unde illud etiam jactatum. Minæ et supplicii spes hominem ad id quod justum est, non admonuit. Isto igitur loco, sperabant, est, timebant. In Græco παραδέξων ἢ ἀπαιστὶς τὸ εἶδέν αὐτῶν. Inopinatum ipsis erat, eam venire. Accenderunt luminaria, Græcè ignem, sed exprimitur finis quam c. 7 dicebam, et: *φάσος*, ad illuminationem. Eam verò circumcirca omnes circumdederunt, v. 16, et silentium cum imperasset, orationem ad eos habuit. Silentium fieri solebat ab eo qui dicturus erat, mandis elatione et agitatione quâdam, Actor. 21, v. 4, et apud Niceph. l. 11, c. 1, interdum ab aliis, Nehem. 8, v. 7. Oratio tota læta, et ad laudes gratesque Deo agendas excitatoria est. Hinc enim incipit v. 17, hic desinit v. 21, utens Psalmis illis 104, 135, quorum maximus apud Israelitas usus fuit, 1 Paral. 16, v. 8, 2 Paral. 20, v. 21. Ut autem excitentur magis, non auditu tantum, sed ipso etiam visu, Holofernis è

perâ caput promit, omnibusque spectandum cum conopeo dat v. 19: Laudat Galato Ortiagontis uxorem Chiomaram Plutarch. lib. de Virtut. mulier, c. 21, quod Romani, à quo vitata erat, tribuni, ad maritum caput attulerit. Sed quâto Judith laudabilior? Nam et illius illa libidini obsecuta erat, et datam illi à marito fidem violarat, neque ullam ulli cædes illa utilitatem afferebat. Omnia in Judith nostra secus, quæ ut major Deo laus et gloria sit, de se ipsâ cum jurejurando, v. 20, commemorat, quomodo ab ipsius Dei angelo ad Assyriorum castra lens, inibi commorans, indidem rediens custodita sit, quoad corpus et animam, absque ullo utriusque incommodo, injuriâ et peccato.

QUESTIUNCULA XII.

Quis angelus, qui ad Assyrios euntem Judith, apud eos commorantem, ab iis redeuntem, custodivit.

Fortè angelus proprius ejus custos fuit; quemadmodum et ille de quo Jacob, Gen. 48, v. 16: Angelus, qui eruit me de cunctis malis. Cùm enim custodiende Judith cura proprio illi commissâ esset, alium eum textum non exprimat cur putemus? Quia tamen magni hoc loco momenti res agebatur, à superioribus angelis aliquem opinari liceat et quidem eum ipsum, qui fides itinerum dux et comes Tobia fuit S. Raphael, de quo illic plura, maxime capp. 5 et 12. Vel certè quia res ista non magna tantùm, sed et publica erat, in quâ Dei sacra, religiones et templum, totisque adeo Israelitarum populus vertebatur, S. Gabriel, ut Dan. 9, vel S. Michael, existimare quid prohibent? Ille enim praxæ illis Ecclesiæ

CAPUT XIV.

1. Dixit autem Judith ad omnem populum: Audite me, fratres: suspendite caput hoc super muros (1) nostros.

2. Et erit, cùm exierit (2) sol, accipiat unusquisque arma sua, et exite cum impetu, non ut descendatis deorsum (3), quasi impetum facientes (4).

(1) Ut Assyrii videntes duces suos cæsum, percellantur et fugiant. (Corn. à Lap.)

(2) Ortus fuerit. (Corn. à Lap.)

(3) Ad verum et serium cum Assyriis longè potentiorem prælium.

(4) Id est, quasi impressionem agentes in proximam hostium stationem, q. d.: Nolite plenè acie confligere, utpote pauci contra innumerum, sed simulate vos velle confingere, ut scilicet Assyrii confugiant ad Holofernem, ut

dux et conservator non à Rabbis tantum traditur apud Franciscum Greg., tom. 1, sect. 3, probl. 545, tom. 6, probl. 566, sed à vobis etiam, D. Hieron. in Dan. 10, Theodoro ibid. auctore Imperf., homil. 48. Illic verò et angelica hominum custodia prælarè perspicitur, et angelorum erga pietatis, jejuniorum, ceterarumque virtutum cultores amor et beneficentia. De eo tamen potissimum Judith prædicat, quod per eum ab omni coinquinatone, quam tamen conviviis, blanditiis et vino studiosissime Holofernes moliebat, Dei jussu, defensa et conservata sit. Valeriano conjugi adhuc ethnico dicebat, ut eum ad Christi Domini fidem sanctamque castitatem traduceret S. Cœcilia: « Mecum habeo custodem corporis mei angelum Domini, et nimio zelo custodit corpus meum. » Neque vanè id ab eâ dictum; suis ille ipsiusque frater Tiburtius oculis probârunt et crediderunt. Item quoque littera proditum de S. Juliano de viginti annorum adolescente, qui angelico insigni favore, non virginealem tantum puritatem custodivit, sed et ad eandem, S. Basilissam, quæ ipsi conjux futura erat, aliosque deinceps innumerabiles, permovit. Insipic, si videtur, etiam Cesarium, lib. 8, c. 42.

Adjunguntur jucundissimi letantium omnium plausus, gratulationes et Dei laudationes, tam in seipso quàm in sanctâ Judith, et primò de universo populo narratur v. 22 et 26, tum de Ozîâ v. 25, 24, 25, postmodò de Achiore vocato v. 27. Sed quæ de eo ad capituli finem ab isto versu narratur, omnia in Græcis ad sequens caput transferuntur. Quos imitabor, ut quæ de illo restant, colligantur simul omnia.

CHAPITRE XIV.

1. Alors Judith a dit à tout le peuple: Ecoutez-moi, mes frères; suspendez cette tête au haut de nos murailles.

2. Et aussitôt que le soleil sera levé, que chacun prenne ses armes, et sortez tous avec grand bruit, non pour descendre jusqu'aux ennemis, mais comme vous disposant à les attaquer.

aciem instruat, ac videntes eum cæsum consierentur et fugiant. Nolebat enim Judith Assyrios invadi, antequam mors Holofernis percrebuisset, et Assyrios inopes animi et concilii reddidisset; sed eo facto jussit ut illic in pavidos et fugientes irruerent. Si enim tempus dedissent Assyriis, potuissent ipsi communi consilio alium duces sibi deligere, qui obsidionem Bethulæ prosequeretur, ita

3. Tunc exploratores (1) necesse erit ut fugiant ad principem suum excitandum ad pugnam.

4. Cùmque duces eorum (2) concurrerint ad tabernaculum Holofernis, et invenerint eum truncum in suo sanguine volutatum, decidet super eos timor (3).

5. Cùm cognoveritis fugere eos, ille post illos securi, quoniam Dominus conteret illos sub pedibus vestris.

6. Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus Israel, relicto gentilitatis ritu (4), credidit Deo, et circumcidit carnem præputii sui, et appositus est ad populum Israel (5), et omnis successio

que urbem fame siti que confectam caperet. Sed Judith prudenter ite providens jussit ut morte Holofernis vulgatâ, subito in percussos totis viribus et agminibus involarent. Quo facto hostes stupefacti fugientes ab Hebræis vici cæsum fuere. Vide ergo hic prudentiam et solertiam bellicam Judithæ, quæ cœptam victoriam ad finem usque prosecuta est: quare prædientur fuit Annibale, qui cùm Romanos in Cæmensi pugna planè concidisset, suaderetque Maharbal prætoris equitem, ut illic Romam pergeret; sine dubio enim eam percussam occupaturum, ac die quinto in Capitolio cœnaturum, dum tardaret Annibal, diceretque naturis hæc de re cogitandum, subjuxit Maharbal: *Vincere scis, Annibal, sed victoria necis uti.* Ita Livius lib. 22. Audi S. Ambr. lib. de Viduis: « Nec dextera tantum hoc opus, sed majora trophæa sapientie. » Nam manu solum Holofernem vici, consilio autem omnem hostium vici exercitum. Suspensio enim Holofernis capite, quod virorum non potuit exegitari consilio, suorum erexit animos, hostium fregit; suos pudore excitans, hostes quoque terrore percellens, eoque cæsi sunt et fugati. Ita unus vidua tempe- rantia atque sobrietas, non solum naturam et suam vici, sed, quod est amplius, fecit viros etiam fortiores.

Simili modo David, amputato capite Goliath, eoque Philisthæis ostenso, ipsos percussit, et in fugam egit, 1 Reg. 17. Idem fecit Judas Machabeus resecto et ex arce Sion suspensio capite Nicanoris 2 Mach. 15, 35. Sic et M. Livius et Claud. Nero consules Romani, cæso Asdrubale cum 56 millibus Carthaginiensibus, quæque ejus ex inopinato ante castra Annibal fratris projecto, eum ita percussurunt, ut diceret actum esse de fortuna Carthaginiensium, atque illic fugiens in angulum Italie ad Brutios se receperit, teste Livio in linc 1. 26.

(Corn. à Lap.)

(1) EXPLORATORES, quos Græci vocat *ῥιπρωτοβουλάται*, solent enim nonnulli ante castra, et satis ab illis procul excubare, qui minimos hostium motus illico significant. (Menochius.)

(2) Qui presunt distinctis aciebus.

(Lyræus.)

Sine cujus voluntate exercitus non debet

3. Alors il faudra nécessairement que les courreurs fuient, et s'en aillent éveiller leur général pour le combat.

4. Et lorsque leurs chefs auront couru à la tente d'Holoferne, et qu'ils n'y auront trouvé qu'un corps sans tête nageant dans son sang, la frayeur les saisira.

5. Et lorsque vous les verrez fuir, allez hardiment après eux, parce que le Seigneur les foulera sous vos pieds.

6. Alors Achior, voyant ce que la toute-puissance de Dieu avait fait en faveur d'Israël, abandonna le culte du paganisme, crut en Dieu, se circoncit, et fut incorporé au peuple

hellum committere. Nam, sicut dicitur lib. de Judæo Bello, non solum bellare, sed etiam vincere sine duce apud Romanos erat vituperabile. (Lyræus.)

(5) Ex casu principis inopinato, et etiam immisus à Deo, unde videtur hic saltem quantum ad aliquid prophetice loqui.

(Lyræus.)

(4) Quæritur quomodo Achior hæc primùm dicitur credidisse Deo, cùm supra, cap. 3, longâ oratione coram Holoferne confessus et testatus sit virtutem et potentiam Dei Israel? Respondeo: Dicitur Achior nunc primùm, occasione tam illustris factioris et beneficii credidisse, nempe, quia nunc primùm locutus et perfectè creditit, et, ut hic additur, relicto prorsus gentilitatis ritu, omnia omnino quæ erant populo Israeliticis divinitus revelata, firmo assensu recepit. Deinde potest hoc referri non tam ad fidem internam quàm ad externam fidei professionem per circumcisionem, de qua sequitur. Nam et olim in Ecclesiâ Catechumeni, etiamsi omnia credenda fideret tenerent, tamen non vocabantur propriè fideles, nisi cum essent baptizati. (Estius.)

TUNC ACHIOR VIDENS VIRTUTEM (potentiam et fortitudinem, scilicet tam fortem, prodigiosam et divinam victoriam de cæso Holoferne) QUAM FECIT DEUS ISRAEL (Græcè Ισραηλ, id est, populi Israeliticæ), RELICTO GENTILITATIS RITU (idolatriâ et gentilismo), CREMUIT DEO, ET CIRCUMCIDIT (non suâ, sed Levitæ alicujus manu) CARNEM PRÆPUTII SUI, FACTUS PROSELYTUS ET JUDEUS; licet enim Ammonite, Arabes, Phœnices, Ægyptii, Æthiopes, circumcisionem jam olim ab Abraham et Judæis accepissent, tamen acceptarent eam ut fidelem, non ut obligantem, uti eam à Deo jubente acceptarent Hebræi. Unde multi se non circumcidebant ob pudorem et dolorem circumcisionis; quare postquam circumcisio apud eos quasi evanuit, Achior ergo, licet Ammonite, fuit incircumcisus, sed hoc factu Judith conversus ad Judæismum, se circumcidit. Circumcisio enim erat professio Judæismi et legis Mosæicæ, sicut baptismus jam est professio Christianismi et legis Evangelicæ. (Corn. à Lap.)

(5) Ut quasi civis Israelitarum sui livicum haberet ad omnia eorum privilegia, jura, dignitates etiam et magistratus. Licet enim Deus vetuisset, Deut. 23, 5, Ammonitas et